





*Gen. 11. 27.*  
1711, 14 G. 50  
18

EPHRAIMI GERHARDI,

PHIL. ET J. U. D.

AVLAE. AC REGIM. SAXO - VINAR. ADVOCATI ORD.  
PROLVSIO ACADEMICA

*P. 28*  
DE  
**RATIOCINATIONE**

J C T O R U M

V E N T I L A T I O N I

C O L L E G I I G R O T I A N I A B I L L V S T R I

D O M I N O D E K V L P I S

I N L V C E M E M I S S I

P E R M I S S V I L L V S T R I S J C T O R V M O R D I N I S

I N

J E N E N S I S A X O N V M D V C A L I

A C A D E M I A

P U B L I C E I N S T I T U V E N D A E

P R A E M I S S A .

J E N A E .

T Y P I S G O L L N E R I A N I S .

4

KÖN FRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

ERHARMI GERHARDI

THEATRUM

ANAE ACERBI SAVO. ANIS. DAVOCATI ORI.

ZOTLARII ACADEMICIA

RATIOCINATIOINE

[C]OTORNI

ANTICITATIONI

CALCULI INSTRUMENTI

DOMINI O'DOMAUS

TRACCEMENSIA

TRANSMITTENTIAE TOTORUM QUITONI

XI.

GENESIAZONVM DUCATI

ACADEMIA

BY THE FRENCH ACADEMY

PRINTED

IN VENICE

BY GIOVANNI COPPOLA MDCCLXV





## LECTORI BENEVOLO.

S. P. D.  
AVT OR.

I.

**I**ntra cetera mortalitatis incommoda certe non ultimum meretur locum, ea, quæ cum insatiable & pene omnibus innata sciendi cupiditate conjuncta est, mentis humanæ angustia imbecillitasque, qua nos in savissimæ cognitionis via, etiam cum sedulo contendimus, sàpius laborum scopo destitutos experimur. Ast vero, ut in reliquis; ita & hic gratiore nobiscum egit Sapientissimi optimique Creatoris Clementia, quæ brevitatem vitae longitudini & amplitudinì scientiarum insufficientem universalis cuiusdam Luminis veritatisque semine mentibus omnium impresso per benigne compensavit. Etenim, uti prudenter admonuit CICERO  
„(a) inter hominem & belluam hoc maxime inzerest quod haec tantum, quantum sensu movetur, ad id solum quod adest,  
„quodque præsens est, se accommodat, paululum admodum sentiens præteritum aut futurum. Homo autem quod rationis est particeps per quam consequentia cernit, causas rerum videt,  
„earumque progressus, & quasi antecessiones non ignorat, simili litudines comparat, & rebus præsentibus adjungit atque annedit futuras, quam ipsam mentis nostræ facultatem non incongrua voce cogitationem appellamus.

A 2

II. Hac

(a) L. i. Offic. p. 5. Edit. Amstelodami Graviani.

II      Haec ipsa per officia sensuum cerebro impressas exteriores rerum imagines sejungit, & comparat, easdemque ad universalis & connatae veritatis principium exigit, cum eodem connectit, istiusque ope earundem causas scrutatur, ac quod maximpm est, ex unica quadam, quæ communior est, veritate, deducit innumeratas, eoque negotio ad remotissima extendit angustae mentis celerem ac promptam agitationem. Unico verbo qui rem complecti amat recte eandem vel meditationem vel ratiocinationem nuncupabit, quamvis alioquin ratiocinationis vocabulum sensu adhuc strictiori accipiatur: etenim uti in scholis logicis syllogismus in perfectum & imperfectum dispescitur; ita etiam ratiocinatio imperfecta huc pertinet, adeoque nunc quidem hocce vocabulum omnem meditationem activam quam alibi (a) in analyticam & syntheticam dividere placuit, comprehendenter.

III     Nos, quam dicimus, alibi definivimus, quod sit actus mentis humanæ veritates singulares cum universalibus conferendi novasque ex iis cognoscendi deducendique. Eriftaque communis omnibus, qui humanum sinciput gerunt, quosque Creatoris Numen à reliqua brutorum animantium grege separavit: nec ab aliquo aliena putabatur, qui se hominem profitetur. Falluntur hinc falluntq; turpiter, qui hanc ipsam, quam omnibus largitur D E U S , facultatem vel charis schedulisque includunt, solisque eruditionis sic dicta cultoribus tribuunt, vel, quod ineptius erat, illi Doctorum generi, quos Philosophos vocant, præciliis assignant. Nemo vere homo est, nisi qui implet hominis officium. Nemo impletur nisi philosophus, i. e. rationis cultura indeque manans non cathedraliae nec chartacea sed viva ac vera sapientia studiosus. Quod de homine dico, magis adhuc eruditus competit, quippe quos vel in hoc maxime profanam superare vul-

(a) vid. tr. de emendatione & usu Intellectus. L. II. c. III. §. 5.

55

vulgus dignum erat, quod ratione melius uterentur. Valeant, qui primum nobis produxerunt diversarum facultatum nomina, nisi singulis jungatur; qua singulis vel adminicula vel fundamenta ministrat & res tum divinas tum humanas scrutatur, philosophia. Valeant, qui minima eruditionis particula contenti eadem ab invicem separant, quae Deus, natura, ratio conjunctissima esse voluerunt. Rectius juris consultissimus CICERO: „Omnes, inquit, artes, quae ad humanitatem spectant, babent quoddam commune vinculum, & quae cognatione quadam continentur.

Ratiocinati sunt ab omni aeo qui divinioris sapientiae hominibus commendarunt studium: Ratiocinatur curatissime sapientissimus Servator Iesus: ratiocinabantur Paulus, Petrus, Joannes, omnesque reliqui, quibus ipsorum restigia premere datum fuit, adeo ut recte dixeris: Veros Theologos optimos exitisse Philosophos. Factum est hinc, ut de usu rationis in sacris cœperit disputari quas quidem disceptationes tanquam à foro nostro alienas nunc linquimus. Interm cognita sunt in hoc negotio ex Socinianis JOACHIMI STEGMANNI, (a) ex Reformatis NICOLAI VEDELII, (b) ULRICI HUBERI, (c) HERMANNI WITSII, (d) & qui nostrae Academiac post mortem etiam decus est, JO. MÜSÆI (e) nomina, quorum cogitationes partim inter se partim etiam à veritate discrepantes, unanimi tamen consensu, diversum scopo ratiocinationem Theologis commendarunt. Sed

A 3

- (a) in orat. pro Archib. Poeta, m. 2, p. 445. Edir. Elzevir. quae prod. a. 2661. Amstelod. conf. B. SCHILTERUS in manu. philos. moral. ad Ip. c. I. §. XIV. p. 21.  
(a) in libb. II. de judice & norma controversiarum fidei.  
(b) in rationali theologico.  
(c) de concusse Rationis & Scripturae Franeqr. 1687. in 8.  
(d) in diss. Epistol. ad Huberum. Traject. ad Rhen. 1686. in 8.  
(e) de usu principiorum rationis,

temperamentum, ubi excedunt accipient ex iis quæ novissime Viri doctissimi JOH. GEORG. PRITIUS (f) & IMMANUEL ROELEUS (g) docuere.

V Idem de JCTis dici vel potest vel debet, nisi primos Legum Latores quod apprime insulsum esset, brutas tulisse vivendi regulas accusare velimus. Rectius sane philosophatur CELSUS (a) JCTus, curate inter id quod ratione & errore introductum est, distinguens, & optime CICERO (b) iustitiae fruendae causa leges constitutas perhibet, quod sane sine ratione fieri non potuit. Hinc est, quod saniores, quos

VI VIVES commemorat, (c) ex philosophiaj ortum existimant sacrum & profanum. Eandem ob rationem B. SCHILTERUS (d) non a prætoris edicto, neque à XII. tabulis, quanquam & hoc, sed penitus ex intima philosophia hauriendam juris disciplinam esse ex TULLIO monuit. Neque alio sumitendunt, quæ doctissimi Viri MATTHÆUS WFSENBECHIUS (e) & ex recentioribus GEORGIUS BEJERUS (f) de philosophia rationalis & moralis Cultura Jurium Studiosis præcipiunt, quibus si non præferri, certe addi debent, quæ de philosophia JCTi Illustris SLEVOGTLIUS (g) doctissime & limatisime, ut solet, hic loci ante annos commentatus est.

VI Sane si rem, ut decet, perpendamus; pene omnis JCTi vita nil nisi ratiocinatio est. Tribus, quod putant omnes, JCTi absolvitur officium: Legum latione, interpretatione, &

(f) in diss. de usu rationis.

(g) in tr. de certitudine sensi rationis & fiduci.

(a) l. 39. π. de LL.

(b) de offic. L. II. n. 12, Opp. p. 1235. sq.

(c) de Causis corrupt. art. L. I. p. m. 7.

(d) l. e. Cap. I. §. XIV. p. 19.

(e) in diss. de studio Juris, paratitlis π. præmissa p. 26.

(f) in pref. ad poss. π.

(g) in prog. lectionibus moralibus a. 1681. præmiso.

applicationē, unde distinctio Jurisprudentiæ in legislatoriā, consultatoriā, & judicialem orta videtur. Ast vero quis leges ratione carentes feret, nisi rationis usu ipsemet careat? Elegantissime hoc differit JO. LUDOV. VIVES (a) inquiens: „*Leges quas ex acuitate omnibus pari atque utili oportet, bat elici, ex cupiditatibus sunt principum[ scilicet aliquando ] deducta, qua quoniam aequae in commune non sunt, nec iustiae, baut aliter leges debent nominari, quam a vīna bordorum, aut mulus equus, aut acetum vinum, aut adulterinus, rūmmus pecunia.* Certe sapiens nil agit sine ratione, quanto minus illi quibus aliorum creditum regimen, rem tanti momenti sine consultatione & ratiocinatione mentis aggredientur. Ulti omnis Reipublicæ ita & legum publicarum finis esse debet Subditorum secura tranquillitas, inviolata iustitia, atque splendor ac firmitas Reipublicæ quod Principes Mundi rerumque Ministros admonet Illustris Dominus de SECKENDORF (b) de his itaque, dum de legibus ferendis cogitat, cogitabit, ratiocinabitur JCtus. Interim non sum adeo suffenus, ut has ratiocinationes legibus addendas existimem. Neutquam! Rationes in mente legislatoris non in charta non intabulis quāero. Placent potius verba SENECÆ (c), „*Legem brevem esse oportet: velut emissā divinitus vox sit. Jubet, non disputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic quid me velis fecisse: non disce, sed pareo.*

Hincce palam est: prudentem Legislatorem legum sua- VII  
rum tenere rationes, quamvis easdem populo non manife-  
stet. Inde vero sequitur: & Interpretē rationes legum in-

(a) de caus. corruptarum artium L, VII. p. 216.

(b) im Fürsten-Staat. P. II. c. VIII. n. 2, conf. LAMBERTUS à VELTHUISEN de princip. iusti, p. 18.

(c) Ep. XCIV.

vestigare debere, & investigationem istam rem difficultissimam fore. Ultimum per se patet, quod si enim Princeps rationem legis latae dissimulat, non potest non ejus investigatio, qua conjectando elici debet, plurimis difficultatibus erroribusque obnoxia esse. Verum difficultia, quae pulchra: difficile est & periculosum bellicis excellere artibus, interim sunt qui pericula evitant, sunt, qui difficultatibus obviam eunt, sunt qui iisdem excellunt. Agedum! aggrediamur rem difficilem quidem sed pulchram tamen & erudita opera dignissimam. Cum judicio CELSUS (a) ait: *Scire leges non hoc est, verba eorum tenere, sed vim ac potestatem.* Hanc vim nemo intelligit, nisi qui finem & causam serendæ legis non ignorat, his vero ipsa legis ratio continetur. Sed obstat Celso JULIANUS, (b) qui pigritiae asylum constituit verbis: „*Non omnium, quae „a majoribus constituta sunt, rationem reddi posse.* Obstat „NERATIUS (c) inquiens: *Ideo rationes eorum, quae consti „tuuntur, inquiri non oportet: alioquin multæ ex his quæ cere „ta sunt, subverreuntur.* Obstat eorum opinio, qui quotidie non de legibus sed secundum leges judicandum esse claman-

VIII. (d) Sed bona verba quaeso! terret vox tot objiciens obstatula. Obstat & tibi jam commendata CELSI (a) l. 39. π. de LL. Obstat. l. 17. ibid. Obstant verba PAULI (b) subtilissimi JCTI: de iis, quae contra rationem juris recepta sunt. Obstat vulgatus Canon legibus innixus: ubi eadem legis ratio, ibi eadem legis dispositio. Ergo aut Celsum cum Juliano, aut Paulum cum Neratio committamus, & opinioni communione opposamus opinionem æque communem. Ita vero contra

VO-

(a) l. 17. π. de LL.

(b) l. 20. π. de LL.

(c) l. 21. π. b. t.

(a) l. 141. de R. I.

(b) l. 12. π. de LL. &amp; Horn. de interpret. jur. c. III. §. XV.

voluntatem D. JUSTINIANI (c) locum sibi vindicaret antinomia, tollereturque, quam praecepit, concordia una, atque una consequentia, Ergo si hac non processit, alia rem aggre diamur via: tentemus distincte onibus subtiliter excogitatis, annon procedat conciliatio. Imò his non opus erit: distinguamus saltem cum plebe Doctorum inter theoriam & praxin: interscholam & forum. Commendat Celsus rationationem de legibus Viris subacti judicii & juribus docendis apertis, quo cum consentit Paulus. Julianus vero & Neratius de praxi forensi loquuntur, etenim illud certissimum est: omnia, confessioni datum iri, si euicunque vel indocto vel docti nomen mentienti liceret de legibus judicium ferre, si que etiam docti Judices intempestivo scepticismo indecidendo titubarent. Itaque in foro judicemus secundum leges, quin vero in cathedra etiam de legibus feramus judicium, nil est quod impeditre possit.

Urgent hoc potius & necessitas & utilitas. Illam pro-**IX**  
bavimus hactenus, dum ostendimus: legem sine ratione legis haud rite intelligi. Hanc nobis quotidie iuventutis studia, ubi hac via ducuntur, demonstrant. Eloquor rem omnem non meis sed magnae auctoritatis JCtI laudati WESENBECH verbis: (a) „ars inquit disputatrix res definit, partitur genera,  
„consequentialias rerum exactè ponderat, & quibus positis, quid  
„in utramque partem verum falsumve consequatur, demonstrat:  
„Aniquo omnes perspiciendi, quid in quaque re sit scientiam &  
„solutandi qualem quidque sit, ac ratione & via disputandi, una  
„in se comprehendit, quae omnia in discendo, docendo, conferendo,  
„differendo in dijudicatione variantium opinionum, in con-  
„troversiarum disceptatione ac definitione in eruenda nativa le-  
„gum obscurarum sententia, quantas habeat opportunitates, ec-

B

gnis

(c) Conf. Deo Autore. §. 8. C. de V. J. E.

(a) de studio juris. p. m. 26.

qui est, qui non intelligat. Altera nō dñm̄ fontes natura aper-  
rit unde jus hoc nostrum, in eam quam videmus, visitatem  
dimanavit; & causas rerum ac firmas legum demonstratio-  
nes ex natura sumtas, quod dñi in scolis appellant, ostendit.  
Quibus cognitis, non modo jucundior est hujus doctrina in-  
vestigatio, sed etiam aperta magis, & facilitate quedam ad  
intelligentiam memoriamque accommodatior. Verba sunt omni-  
estimatione & tanto J Cto meo iudicio majori dignissima, quæ  
non tam ab autoritatem Viri, quæ magna est, sed & ratio-  
num, quæ insunt, pondera hic transcribenda existimavi.

X Bene itaque haec se habeant: ast resideret scrupulus: quo-  
modo ratiocinari, quasnam rationes legum scrutari debea-  
mus. Alii ad laudatam t. non omnium confugunt, ejusque  
ope ignorantiae suae emplastrum reperiri posse existimant: alii,  
nescio unde, quascunque conquerunt ratiunculas, alii miras  
subtilitates venantur. Omnia tempus habent, itaque & rati-  
ocinatio. Non omnium dari potest ratio, quia multa sunt sine  
ratione: multa rationem habent, sed non proletariam: mul-  
ta rationem non habent, & ideo quia non habent, ratiuncularum  
plastrum se tegunt. Notissima est argumentatio CA-  
NONUM (a) quod quaternarius numerus bene congruat pro-  
hibitioni (papali) conjugii corporalis: quia quatuor sunt humo-  
res in corpore, qui constant ex quatuor elementis. Quare non  
etiam convenit numerus quinquagenarius: quia L sunt libri  
Pandectarum. Sed hic distinguendum est, inter rationem veram  
& apparentem, quæ simulatur. Nos veram quaerimus.  
Hæc vero à causa impulsiva legum omnium & singularum  
pendet.

XI Mea, si qua est, opinione omnis legislatio vel regulis  
prudentiac politicae conformis, vel ab iisdem aliena existit.  
Circa illam rationes superius indigitatae sponte se offerent:

(a) c. VIII. X. de consangu. & affin.

(a) haec vero putatias, obscuras & sine destitutas crepabit. Exemplum videre est in rescripto Imperatoris JUSTINIANI quod *I. un. C. de lege furia canin.* tollenda legitur. Rationem ejus allegat TRIBONIANUS (b) inhumanitatem dispositionis contrariae & favorem libertatis: sed perspicacioribus facile apparere potest has rationes non stringere, adeoque alias sine dubio subsuisse, quod etiam nobis alibi prolixius ostensum est.

(c) Reperiet plura hujus generis, qui responsa JC:orum Veterum rimabitur, quippe qui sepe ad rationes non domesticas, sed quae partim ad Physicos aliosque spectant, & plusquam incertitudinis habent, confugiendum sibi duxerunt, quod celeberrimus OCKEL (d) dudum notavir. Rationes itaque legum vel sunt genuinae vel putatitiae, utraeque vel prudentiae vel astutiae & tyrannidis. Ultima Legumlatorum affectibus, ambitioni, avaritiae vel etiam libidini acceptum ferent fundamentum. Objicit tale quid Triboniano PAGANUS GAUDENTIUS, (e) qui illum *in Avrbent. sed bodie C. ad l. jul. de adult.*, cupientem placere Theodorae sic flexisse, stylum, sic turbasle Jurisprudentiam, asserit, quod aliis discutiendum relinquo. Interim hoc saltem sequitur, etiam has vero Juris Interpreti investigandas esse, quorsum faciet legum & Rerum civilium historia. Nos jam de iis, quæ prudentiae legislatoriæ innituntur magis quam de his cogitamus.

Si id quod juris hnc trahas, quilibet praesumitur acti-XII onum suarum scopum non injustum sibi fingere: unde & de Legislatoris non dubitabimus sapientia, justitia atque aequi-

B 2 e in interpleri in tate.

(a) cum per se quolibet in id resolvatur, ex quo compositum fuerit.

(b) in J. b. t.

(c) vid. nostra, si placet, disputatio de lege furia caninia sublata.

(d) in JCto rationali, e. VII. p. 154. sqq.

(e) De Justiniane seculi moribus. P. II. c. XXXIII. p. m. 102, Edic. Argentoratens.

tate. Hujus itaque ut officium est leges condere & populi genio aptas, & negotiorum conditioni convenientes, & iuribus connatis non adversas, & Reipublicae bono proficias; ita quatuor se offerunt legitima omnium legum fundamenta: genius & persuasio populi, negotii gerendi natura, juris naturalis regula & Reipublicae Salus: quibus ex post facto æquitas & decori cultus accesserunt.

XIII Primo loco nominandum duxi: *genium & persuasum* populi, vel Legislatoris quibus utique aliquando quidendum fuit: idque ex dupli ratione: vel ut subditis parendi gloria acceptior veniret, vel ut vitiis eorumdem occasio præcinderetur. Sic potestas in corpus proprium, quae licita jure civili erat, uti præclare & sufficienter celeberrimus Academæ hujus JCtus FRISIUS (a) deduxit, sine dubio stoicorum opinionem de morte voluntaria fundamenti loco agnoscit, præcipue si, consideres, legum istarum Autores, PAPINIANUM, ULPIANUM, & M. ANTONINUM suisse se. Etæ huic addicūsimos. Sic dealiis ex stoicorum placitis eruditæ philosophatur celebris Patriæ meae JCtus NICOLAUS HENELIUS. (b) Eodem modo plurima legibus sunt constituta, quae certum istius temporis institutum supponunt. Sic legibus olim cautum erat quod hodie sine ratione observatur, ut testes in secreto judicis audirentur, quemadmodum illud notavit consultissimus KRESSIUS (c) exigente hoc niore atque instituto temporis quod Judges Pedanei in aprico iudicium instaurare consvererint. Sic leges Germanorum de iuramentorum solennitatibus hypotheses istorum temporum supponunt, quod saltem formulam: *uf den Heiligen schwestern* insipientibus palam est: Sic pene omne ignominiae infamiaeque malum iudicio hominum de hoc vel illo actu ini-

(a) in diss. de vi ac potestate in corpus proprium Cap. II.

(b) in oratio Vratislav. C. XL. p. 334.

(c) in Epist. diss. de procuratione fines mandati excedente annexa.

natur quod in specie *τῆς νῦν θεογοί* as celebri exemplo ex OT  
TONE FRISINGENSI, (*d*) & GUNTHERO LIGURINO (*e*)  
illustrati potest. De cetero vel ipse sapientissimus LegisLa-  
tor MOSES (*f*) Salvatore Interpretate dia *τὴν οὐλαγοράδινην* ar-  
genio Judaeorum singulatim competentem toleravit divortia.  
Haec rationes considerari merentur curatus, ait vero investi-  
gari non poterunt, nisi historia populi & historia legum fa-  
tis sit cognita. Illam ex ea ratione Jurium Cultoribus com-  
mendavit FRANCISCUS BALDUINUS (*g*) de hac veronostri  
legant quæ ante annos scriptis Illustris Dn. WILDVOGEL. (*b*)

Neque minorem circalegum fundamenta locum sibi XIV  
expositit Negotiorum, de quibus quaeritur natura. Sic cum §.  
34. J. de Rer. divis. de Tabula aliena, quam ego pictura or-  
navi, queritur, ridiculumvisum est picturam Apellis in ac-  
cessionem vilissimae tabulae cedere: optimumque argumen-  
tum dispositionis in l. 23. §. 3. n. de re vindicata prævalentia  
sumitur quod illustrat JULIUS PACJUS & CASPAR MAN-  
ZIUS. (a) Omnis vero ista prævalentiae ratio à rei natura  
petita est. Eodem modo PAULLUS (b) jCtus usi fructuarium  
ab onere derelictione ius fructus liberavit, quod naturale  
videretur eum, qui onus propter emolummentum praefstat, re-  
licto commido etiam onus evitare debere, quod etiam ad re-  
futationem feudi ob eandem rationem Doctoribus (c) exten-  
ditur. Plurima præter hæc exempla occurrent si consuetu-

**B 3** *same BOSTON series (A)* **dine**

(d) *de rebus gest. Frider. L. II. c. 8. § 20.*

Acta Academiae scientiarum institutiones historicæ Argæ

(g) de institutione Bifloriae Argentorati, 1698 recus., in 12.  
(h) in Elegis Turis eorumque prefat.

(4) in Comment. ad h. l.

(b) *L. 49 pr. de sua fruct.*

(c) vid. Schiller in *inred.* ad *J. F. C. VIII*, §. 1.

10. *Constitutio in matrimonio et aliis.*

dines Germaniae consideres, quas recensent SPECULATO-  
RES SVEVICUS & SAXONICUS. (d)

**XV** Saepissimè vero legum latores ex scopo Reipublicæ & utilitate politica statuta metuntur, quæ utilitas modo genuina modo spuria existit: utriusque exempla ubivis obvia sunt, variantque pro varietate rerum publicarum. Ita Romæ nuptias tantum Cives Romani contrahebant, Feminae veteri jure adoptari arrogarique non poterant, quemadmodum illud TRIBONIANUS (a) hoc A. GELLIUS (β) notarunt. Ita apud Athenienses non licet peregrinam civi, vel feminam Civem peregrino elocare, ut refert MEURSIUS. (γ) Atque ex hac ratione cum priori conjuncta variant etiam in Germania nostra consuetudines pro statu Regionum.

**XVI** Cum hac non confundi debet juris naturalis, quod tranquillitatem generis humani præcipit, ratio, & obquam vim vi licet repellere, ob quam paeta sunt servanda, & plurima, quæ eriminum publicorum nomine veniunt, fuere prohibita. Consulenda sunt hanc in rem Veterum Germanorum instituta apud HEROLDUM, WENDELINUM, & LINDENBROGJUM, quippe quæ maxime in iis profligandis, quæ prohibet jus naturæ, laborant. Separatur hinc æquitas naturalis, quæ non tam jus, quam juris stricti, ex regulis amoris, mitigatio est, cuius cum etiam abusus detur vel corruptio, inde non est mirum, quod sepe in cerebrinam & putatiam degeneret, uti ostendit ILLISTRIS THOMASII. (a) Præterea plurimæ leges vel ob præscindendas viitorum occasiones, quod præcipue Moasicarum est proprium, vel ob decorum & modestiam late fuerunt. Sic magnificus BRUCKNERIUS (b) leges matrimoniales divinas ex illo fundamento deduxit. Omnes itaque leges rationabiles vel quod iussit populi persuasio atque genius, vel quod præcepit natura

rei,  
(d) vid. Sachs. Band II passim, speciatim L. II. Art. LVI, LXV.  
EIII. Art. LXXXVII.

(a) pr. J. de nuptiis.

(β) L. V. c. XIX.

(γ) in themid. Artic. L. II. c. XIV. p. 96.

(a) in diff. de equitate cerebrina.

(b) in prog. de bac materia.

S. (15) S.

re vel quod si afferit utilitas, vel quod ius naturae; vel aequitas & decori studium aliquid suggesterint, natae sunt, unde de rationum investigatione, ut puto, constabit satis.

Superest adhuc alia ratiocinationis juridice species, quam XVII  
superius syntheticam argumentativam & confutariam diximus. Hacc  
uti hactenus prolatis innisiur, & ex identitate rationum pendet;  
ita peculiari discussione vix indiget, si modo observentur, quæ a-  
libi de methodo cogitandi synthetica monuerunt JO. CLERICUS (a)  
alique. Interim, ne provida circa eandem nos desituat Cautio, pe-  
culiare opera cavere voluit Illustris SLEVOGILIUS, (b) quorsum  
brevitatis studio Lectorem remitto.

Sed mentionem superius fecimus ratiocinationis judicialis, XVIII  
quæ judici & causarum patronis circa negotia fori & juris applica-  
tionem competit. Ultra dubium hæcce, ut puto, est posita, cum  
hoc omnes libellorum formulae, omnes interrogationum & ex-  
aminationum disputationes, uno verbo omnia acta fori non loquantur, sed  
elament. Loquuntur hoc Veterum pariter ac recentiorum J. Crotum  
de jure responsa, quæ non tantum ex auctoritate pristini tempo-  
ris, sed ex aesciatis Autorum cogitationibus promanarunt. Instar o-  
mnium esse poterunt ea, quæ Perillustri L. B. DELYNCKER hoc  
in loco publicavit, quæque rem omnem clarissimis ratiocinationibz  
in exemplum nobis demonstrant. Cæterum quid quæfori aliud est vi-  
ta strepitusque forensis quam perpetua disputatio? quis autem cum  
ratione disputabit, nisi qui ratiocinetur? Ergo concludere per ha-  
cenus dicta licebit; J. C. verum nec personatum, vera non si-  
mulata philosophiae amantissimum esse, ejusque ope evendem rati-  
cinari in schola & foro, in theoria & praxi, in cathedra & iudicio,  
quod nunc quidem nobis fuit ostendum.

Perpenderunt hoc mecum Clarissimi Viri Juvenes, solidæ XIX  
Eruditio[n]is cum laude studiosi, utque se ad majora rite formarent  
exercitationes cathedralias meo ductu peragendas sollicitarunt. A-  
nimus ipsis est: juris naturalis disciplinam, quæ plurimarum ratio-  
nationum Juridicarum fundamenta subministrat, quamque hacte-  
nus qualicunque mea doctrina sibi cognitam reddiderunt, iisdem

(a) in doctrina logica, opp. philos. Tom. I. P. III, c. I. & sqq. conf.  
tr. nostra de usu intellectus l. c.

(b) de argumentis legum cause formandis.

disentere, quam in rem placuit, Illustris Domini de KULPIS elegan-  
tissimum, quod *Collegium Grotianum* inscripsit, opusculum nostris  
exponere disceptationibus, quod & primo B. Autoris scopo conve-  
niens, & Ingenui hominis cogitatione dignissimum existimamus.  
Prohibunt itaque mecum gratioso ILLUSTRIS ICTORUM OR-  
DINIS permisso suo, qui placuit, ordine:

JO. FRANCKE Flurkæd, Thur.

JO. HENRICUS URSINUS, Ratisbonens.

LEOPOLDUS REICHENHALLER Sempronio-Hungarus.

FRIDERICUS ULRICUS STISSE, Quedlinburg, Saxo.

GOTTLIEB ENÖCH JONISCH, Vratislav.

JO. CHRISTIAN SCHWOPE, Briga-Sil.

GEORGIUS SCHARFF, Rustino-Hung.

NICOLAUS CHRISTOPHORUS HEY, Slesvico Holst.

Exercitationes kulpianas ad ductum sanæ rationis ventilaturi.  
Initium faciemus proximè futuro Sabbathi die, prius adhuc  
ex valvis publicis eos, quorum interest monituri. Nunc, ut ea que  
ab Auditoribus pendere solet alacriorum ingeniorum  
excitatio, nos non destitutus, idecirco omnes illos, qui rationem &  
eruditionem cordi habent, ut nos praesentibus benevolisque auti-  
bus adjuvare non dedignentur, enixe eoque, quo decet observan-  
tiae humánitatisque cultu rogatos voluntus. Præcipue Vos GENE-  
ROSISSIMI, GENEROSI atque NORILISSIMI COMMILITONES,  
qui hic loci in spem patriæ vestrae formamini, nostris assistatis co-  
natus, omne vicissim à nobis cultus ac humanitatis debita offici-  
um expectantes. Facietis rem vestris occupatioibus dignam, nec  
forte omni fructu carituram, nobis vero singulis acceptam & hono-  
rificam. Quod reliquum est, nobis favete, & ex voto valete. scri-

XIX dебам Jenae. d. V. Mens. Januar. A. O. R. MDCCXI.








Jena, Diss., 1711 (A/R)



56



**Farbkarte #13**



Gen. 11. 14. 27.  
9. 18.

EPHRAIMI GERHARDI,  
PHIL. ET J. U. D.

AVLAE. AC REGIM. SAXO. VINAR. ADVOCATI ORD.,  
PROLVSIO ACADEMICA

P. 28  
DE  
**RATIOCINATIONE**  
J C T O R U M  
VENTILATIONI  
COLLEGII GROTIANI AB ILLVSTRI  
DOMINO DE KVLPIS  
IN LVCEM EMISSI  
PERMISSV ILLVSTRIS JCTORVM ORDINIS  
IN  
JENENSI SAXONVM DV CALI  
ACADEMIA

PVBLINE INSTITVENDAE  
PRAEMISSA.

J E N AE,  
TYPIS GOLLNERIANIS.

